



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome I. Alvarez De Paz In omnes libros De Vita Spirituali Eiusque Perfectione

Álvarez de Paz, Jacobo

Antverpiæ, 1620

Quod perfectio animam in veriſſimam dignitatem extollit, immensis diuitijs multiplicat, & ineffabiles delicias contineat. caput. 31.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49057](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49057)

quibus gratia cooperatur, & Dei vocati-
 ni respondet, reparari, beatus innocentium
 à primis parentibus amissam filios Deo
 deles sanctitate operum obtinere. Hæc
 incōprehensibilis laus creatoris & Salvatoris
 nostri, quod homines inimicos in suam
 c̄tissimam amicitia euehit, iniquitatibus
 datos non v̄cumque mundat, sed purissimos
 reddit, & planè terrenos immilla perfectione
 virtutis caelestes constituit. Hoc est demum
 illustrissimum crucis Christi trophæum, quod
 peccatores sanguine ex suo latere manante
 purguit, suis ignominijs nobilitavit, & in
 nuditate, sanctitatis stola vestiuit. Hanc glo-
 riam, quam Dominus ex sanctorum vita re-
 portat, ex tua vita, ô religiose, qui hæc legis,
 etiam accipiet, si sanctitatis viam ingrediaris,
 si teipsum vincas, si mundana deseras, si
 virtutes quæras, si vitia derelinquas, & si Deo
 intellectu & affectu cohæreas.

CAP. XXXI.

*Quod perfectio animam in verissimam di-
 gnitatē extollit, immensis diuitijs mul-
 tiplicat, & ineffabiles delicias cōtineat.*

Magna prorsus est hæc gloria regis no-
 stri, quod hominem abiectissimum, &
 filiam iræ, atque gehennæ, perfectione in ab-
 tissimam

tissimā dignitatem euexerit. Quæ enim maior animæ dignitas esse potest, quam quod sit amica Dei, quod sit filia Dei, quod sit spōsa Dei: hac verò anima sanctitate pura, & virtute perfecta cumulatissimè iustos imperfectos excellit. Est dignitatum præstantissimū quod anima viri perfecti, est magnificentissima habitatio Dei, quam Dominus odoriferis floribus sanctorum desideriorum, & suauissimis fructibus bonorum operū septus inhabitat. Anima viri perfecti habitatio Dei est, tam pulchra, tam magnifica, tam sibi grata & accepta, vt eam domum, & sedem, & requiem & plane cælum pulcherrimis astris decoratum appellet. Domus Dei est, vel cœnaculum paruulum, in eo Dominus perseueranter & libenter requiescit. Quare Paulus *Hebr. 3* crimen inter Moysen & Christum cōstituēs, quod ille sit Dei seruus, hic filius, ait, Christus verò tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos: si fiduciam & gloriam spe vsque ad finem firmam retineamus. Hanc domum ipse Christus in cordibus iustorum exstruit præstantiori ratione, quam reges terræ sibi palatia aut domos ædificant. Veni, inquit, electa mea, & ponam in te thronum meum: thronum nimirum sanctitatis, & perfectæ virtutis, in quo Dominus Rex potens gloriosus apparet. Ita vt dicat: hæc requies *Pf. 131.*
 mea

mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Nunquam hunc locum quietis deserit, sed dum sancti in hac mortalitate viuunt, in eis sedere, & habitare incipit, & cum ad vitam immortalem transeunt, tunc perficit dona sua & cumulatus complet, quod ante iam cœperat. In his sedet, & in his gratissimè habitat. Nam ut est in Psalmo: Tu in sancto habitas Israël. Quid est in sancto habitas? In illis habitas, inquit Augustinus, quos sanctificasti, & quos facis intelligere &c. Quia es in cælis, in Angelis, in sanctis illuminas eos ad tui cognitionem: quia tu es Domine lux inflammans eos ad amorem tuum dominum: quia tu Domine amor es inhabitans, & implens eos ad beatitudinem: quia tu Domine summum bonum es, & æternum bonum, à quo omnia bona, & sine quo nihil bonum. Istos cælos, ut Dominus in illis habitaret, non tantum verbo fecit, & iussione creauit, sed maximis laboribus contemnit, & profusione proprii sanguinis & vitæ quæsiuit. Quos tanquam infinito pretio redemptos ardentius amat, quam corporeos cælos quorum splendor ad istorum obsequium factus est. Et in his cælis libentius commoratur, quia sunt non simplices cæli, sed cæli cælorum in quibus illustriora dona profundit, & maiora indicia suæ maiestatis

tis & bonitatis ostendit &c. Est ergo cælum
 sancta aliqua anima habens solem, intelle-
 ctum; lunam fidem, astra virtutes. Quo-
 modo nempe stellæ in nocte lucent, in die
 latent, sic vera virtus, quæ sæpe in prospe-
 ris non apparet, eminent in aduersis. Et pro-
 fectò non solum propter hanc similitudinē
 animæ perfectæ cæli sunt, sed etiam quia
 Deus in illis habitans, ad cælestes & subli-
 mes functiones impellit. Aded vt diuinæ
 pulchritudinis contemplandæ, & amandæ
 desiderio captæ, ipsum quoque mortalem
 vitam interdum exhorreant. Vnde Basil. *Basil.*
 tractās quid in perfectis viris diuina pulchri- *Reg. 1.*
 tudo contēplata faciat, hæc ait: ea si quando
 sanctorum virorum quempiã circumfulsit,
 intolerabilem illorum in animis defixum
 desiderij aculeum relinquit. Quippe qui
 cum vehementer eos vitæ huius tæderet, in
 voces illas erumpere soliti essent. *Heu mihi, Ps. 119.*
quia incolatus meus prolongatus est. & Quando Psal. 41.
veniam & apparebo ante faciem Dei? & dissolui,
 & esse cum Christo multo melius est. Et Si-
 tiuit anima ad Deum fontem viuum: & nunc
 dimittis seruum Domine. Vehemēter etiam
 vitam hanc, velut tertum quendam carcerem
 abhorrebant, vsque aded difficilibus ad cohi-
 bendum animis erant ij, quorum mentes
 Dei amor perstrinxerat. Vide igitur quam
 ardentem Deus perfectos amat, siquidem eos
 in

in tantam dignitatem & gloriam exaltat,
 ut domus Dei, & cæli sint, in quibus ipse
 Deus habitat, & gloriam suæ maiestatis
 ostentat. Ab eo sancti & perfecti homines
 animæ vitam & salutem habent; ab eo
 comparabilem dignitatem obtinent; ab eo
 etiam nullo ingenio comprehensas opes
 accipiunt. Has sicut animæ salutem ad
 dignitatem ipsa perfectio spiritualis vitæ, quam
 sancti profitentur, tecum affert. Mecum
 quæ sunt diuitiæ, & gloria, opes superbæ
 iustitiæ. Quænam diuitiæ opes superbæ
 sunt ô sancta perfectio? Illæ sane, quæ solæ
 diuitiæ veræ, quæ solæ sunt opes amplissimæ.
 Inquirentes autem Dominum non minuuntur
 omni bono, quibus nullum deficit bonum
 sed affatim habent quæcunque desiderant,
 veri diuites sunt nuncupandi. Perfectionem
 diuinæ ita desideria sanctorum implent, ut nihil
 vacuum aut frustratum relinquunt. Non
 mirum, quoniam vera iustitia pretiosior est
 cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur
 huic non valent comparari. Perfectionis di-
 uitia nobis sunt ambiendæ, quæ nos ornare
 possunt pariter & munire; ditant animas no-
 stras atque nobilitant, nobiscum sunt, intra nos
 sunt. Diuitiæ nostræ credendæ sunt pudicitia,
 (ait Prosper, quæ nos) pudicos iustitia, quæ
 iustos; pietas, quæ pios; humilitas quæ humiles;
 mansuetudo, quæ mansuetos; innocentia

Pro. 9.

Pro. 3

*Prof. lib.
 2. de
 vita con-
 templ. 13*

quæ innocentes: puritas quæ puros: prudentia quæ prudentes: temperantia, quæ temperantes: & charitas quæ nos facit Deo, & hominibus charos, virtutum potentes, sæculi contemptores, ac bonorum omnium sectatores. Hæ sunt humilium pauperum facultates, patrimonium cordium, diuitiæ incomparabiles morum, quibus non abundant nisi illi, qui illis carnalibus ex corde renunciant. Charitas ergo perfecta virtutes magnas & perfectas inducens, thesaurus est diuitiarum. Noueris huiusmodi animam, ait Bernardus, (loquitur autem de anima perfecta) nunquam esse sine Angelorum custodia, qui eam emulantur Dei emulatione, solliciti suo viro seruire, & virginem castam exhibere Christo.

*Ber. ser.
39. in
Cant.*

Illud autem postremum has perfectionis diuitias commendat, quod, ut Dominus eas perpetuo conseruet, sæpe tribulationibus tegit, & ab oculis perfectorum possidentium abscondit. Quãobrem sanctus Iob quãlibet sanctarum animarum lampadem contemptam appellat, quia scilicet impiorum hominum cæcus, eam apud Dominum despicabilem existimat. *Lampas contempta, inquit, apud cogitationes di-*

Iob. 12.

uitum, parata ad tempus statutum. Lampas non vacua, sed plena oleo, quæ apud Deum & homines ardet & lucet, quam Dominus velut diuitem, & ad nuptias cum æterno rege inuandas paratã, ab ingressu sui thalami non

ex.

excludit. Hanc lampadem iniqui contem-
nunt, & nullius valoris æstimant, qui
pressuris & tribulationibus patere conspi-
ciunt. Sæpe namque contingit, ait Grego-
rius, ut electus quisque, qui ad æternam
fælicitatem ducitur, continua hic aduer-
sitate deprimatur, non hunc rerum abun-
dantia fulciat, non dignitatum gloria hono-
rabilem ostendat, nulla ei obsequentium
frequentia suppetat, nulla hunc humanis
oculis vestium pompa componat: à cunctis
verò despiciabilis cernitur, & huius mundi
gloria indignus æstimatur. Sed tamen ante
oculi iudicis oculos virtutibus emicat, re-
meritis coruscat, honorari meruit, despicere
non refugit, corpus continentia afficit, sed
in animo dilectione pinguescit, mentem
semper ad patientiam præparat, & erectis
pro iustitia de perceptis contumelijs exultans
sacri verbi pabula in mente sollicitus rumi-
nat. Bene itaque iusti simplicitas & lam-
pas esse dicitur, & contempta. Lampas, quia
interius lucet, & contempta, quia exterius
non lucet. Intus ardet flamma charita-
tis, foris nulla gloria resplendet decoris.
Quare exterius non lucet? Quia Dominus
sanctitatis diuitias, ne ab inani gloria, aut
ab alio effectu elationis illidantur, regum-
to tribulationis abscondit. Perfecti ergo
viri sunt diuites, qui virtutibus veris, sic-
lice

Gre. 10.

Moral.

cap. 7.

licet diuitijs abundant, qui nulla terrena desiderant, qui ipsis miserijs in opibus crescunt, qui tribulationibus & pressuris diuitias suas non perdunt, sed ab iniurijs aduertiariorum custodiunt. Sancti, & perfecti, nequaquam ex accepta sanctitate superbiunt, sed quo sanctiores, & quo ditiores, eo se magis humilitate dejiciunt. Optimè enim agnoscunt se à diuina bonitate iuari vt incipiant vt progrediantur, & vt ad perfectionis culmen adscendant. Hæc verissima propriæ vilitatis, & diuinæ bonitatis cognitio perfectos viros erudit, vt inter abundantiam spiritualium diuitiarum humiles sint, seipso despiciant, & in solo Deo tanquam in omnium bonorum principio confidant. Ipsum vt auctorem sanctitatis, & seipso vt vilia instrumenta ab ipso mota & eleuata conspiciunt, & indignum putant, sibi ipsi, qui à Deo vocantur, & mouentur, & quodammodo impelluntur, hoc opus gloriosum adscribere. &c. At verò perfecti iam

*Instit.
lib. de
gradibus
perfe-
ctionis
cap. 3.*

mundo ex corde mortui, quibus etiam crucifixus est mundus, quamuis operentur magna, innocenter viuant, virtutibus polleant, coruscant miraculis, terrena despiciant, inhiantique affectu concupiscant cælestia; veritatis tamen lumine illustrati, se nihil ex se esse proclamant, atque ex Dei gratuita bonitate, si quid sunt, sincera humilitate fatentur

tentur esse quod sunt. Nōrunt siquidē
 se conditoris vniuersorum esse instrumentū
 electa per gratiam, quæ proculdubio
 exercerentur à Domino, tñquam car-
 iacerent interiori habitu vacui, memores
 retinentes, quod Dominus ait: Sine me
 potestis facere. Hoc igitur mirabilissimum
 est, quod sancti veris diuitijs abundantes
 humiles sint; & quo ditiores & modestiores,
 & humiliores euadant, & sensu meritis
 & affectu cordis, se omnibus hominibus
 tanquam abiectissima aramēta postponant.
 Quod si de diuitijs sæculi dixit verax Augu-
 stinus: Tinea diuitiarum superbia est, de di-
 uitijs sanctitatis dicamus nos, ornamentū di-
 uitiarū humilitas est. Has nos, qui sæculi
 contempsumus, diuitias quæramus. Hæc
 diuitiæ, quæ in hac vita positos nunquam
 fatiant, sed nouo semper desiderio amplius
 acquirendi sollicitant. Perfectio, perfectio
 charitas est, quæ vires animæ & cordis af-
 fectus componit. Hęc autem unio est, & leuissimus
 amplexus, quo Deo iungimur, & origine bono-
 norū amplectimur. At hæc vox amplexus
 hominis, sed Dei non creaturæ, sed creaturæ
 si attentius inspiciatur, satis indicat, quanta
 perfectorum gloria, quanta sint perfectionis
 delicie, quibus animas sanctas inebriat, & ex-
 tra seipsas in ineffabile gaudiū educit. In hoc
 amplexu anima quādā infinitā pulchritudinem
 videt.

videt: vocem dulcissimam audit; odorem
 suauissimum percipit, saporem inexplicabi-
 lem gustat. Quare memoria expertæ suavi-
 tatis illecta, & desiderio illius status accensa,
 in quo istæ delitiæ nullam interpellationem
 sentient, vitam istam mortalem deserere: &
 mortem, quæ ianua vitæ immortalis est, ag-
 gredi concupiscit, hinc illę voces: Mihi viuere *phil. 1.*
 Christus est, & mori lucrum, & desiderium
 habes dissolui, & esse cum Christo, quia mul-
 to magis melius. Et sitiuit anima mea ad *ps. 41.*
 Deum fontem viuum, quando veniam &
 apparebo ante faciem Dei. Gaudium itaque
 verum & voluptatem solidissimam sola vir-
 tus & cordis munditia potest efficere. Hanc
 qui habuerit, licet in infimo loco cõstitutus,
 vitam habet delitijs refertã, & sola virtute &
 sanctitate, quæ pro omnibus hominibus est,
 & reliquis desiderabilibus reputatur orna-
 tus. Hac qui caruerit, licet sit repletus pecu-
 nijs, vallatus honoribus, & delicijs mundi
 circumdatus, miser, & tristis viuit, quoniam
 conscientia vermis illum mordet, & acu-
 leus peccati compungit.

Non solum autem bona faciendo perfe-
 cti delectantur, sed & mala patiendo iu-
 cunditatem experiuntur: quoniam Domi-
 nus tribulationes & dolores dulcedine con-
 dit. Dulcedo præsens tribulationis est,
 quòd nos ad virtutem exacerat, & merita
 X cumu-

cumulatissima in patientis sinum infert. Doleo autem futura tribulationes suaves & dulces efficiens, est spes mercedis promissæ ijs qui pro Deo mala sustulerint. Quam expressit Dominus dicens: Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, merentes propter me: gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Iam profecto sentiunt istam mercedem, ut Augustinus ait, qui gaudent spiritalibus bonis, sed tunc ex omnium parte perficietur, cum etiam hoc mortale induerit immortalitatem. Interim autem, dum ex omni parte perficitur, & dum corpus mortale immortalitate vestitur, huius gloriæ expectatione delectantur; & amarum quod in tribulationibus est, felicissima expectatione obrutum, nec refugiant, nec aduertunt.

Mat. 5.

Aug.
lib. 1. de
ser. Do-
mini.

CAPVT XXXII.

*Quam sint utiles Ecclesiæ perfecti, & de
pulchritudine, de pace, de securitate, &
libertate animæ perfectæ.*

EX his quæ de hoc eximio perfectionis opere dicta sunt, quisque manifestè cognoscet, quam utiles sunt Ecclesiæ perfecti, qui